



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Heliseus Propheta. 14. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

sum. Præter alia multa, quæ fecit admiratione dignissima, puerum demortuum vitæ reddidit, quò is parentem ANTONII de homicidio accusatum innocentem absolveret. Supremum ægrotantem CHRISTVS invisit, obitum verò ejus per urbem fando infantes vulgarunt, quò minori eloquio, hoc majore virtutis præconio. *Ex Surio.*

Totomentis affectu beatissima Virginis nos intercessionibus committamus, ejus patrocinia omni nisu imploremus; ut dum supplici obsequio eam frequentamus in terris, ipsa nos sedulâ prece commendare dignetur in calis. S. Aug. in F. Alf. B. V. hom. 3.

S. HELISEUS PROPHETA. 14. Junii.

PROFUEKIT juvenuti, HELISEI Circenses ludos spectare; redeat inde modestior, & reverentior canæ ætatis. Bethelensis pueritiæ grex calvitium sancti senis vernaculis jocis proscindebat. eam dicacitatem ursi duo, quadragenis binis è toto numero conceptis, castigarunt: ne ferulas tantum, sed & feras puerilis lascivia sibi metuendas existimet. Cætera illius viri prodigia quis memoret? aquarum cursum stitit, amarorem correxit, oleum auxit, lepram deterfit, infœcundis conjugibus prolem dedit, orbis reddidit; genti suæ insignes victorias, eidem fame laboranti gratuitam annonam præbuit. Illud æternâ memoriâ dignum, & identidem parum fidentibus Deo suggerendum. Obsessus à Syris, jamque pro desperato à familiari servulo defletus, paventem hoc promisso erexit: *Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.* Trepidanti nihilominus oculos prece aperuit, & diffusa toto monte auxilia ignitasque acies ostentavit. Hostibus vicissim suis offusâ

oculis animisque caligine, torpentibus ducentem se obtulit, eoque deduxit, unde si jure in eos agere libuisset, pedem nunquam erant relaturi. Hoc tu robur animi pallio Eliæ imputabis. rectè: sed cur times, qui in baptismo JESVM Christum induisti? *Ex 4. Regum.*

Sit in gestu tuo gravitas, in incessu honestas: nihil dedecoris, nihil lascivie, nihil petulantie, nihil insolentiae, nihil levitatis in te appareat: animus enim in corporis gestu apparet: & species corporis simulacrum est mentis, figuraque probitatis. Ibid. l. 2. Soliloq.

S. VITUS MARTYR. 15. Iunii.

Liberalius cælum Româ etiam pueris triumphum non negat. Certè VITVS adolescentulus duodecim annos natus plures jam tyrannos, eosque inter parentem triumphavit. Flagra enim primò Christianâ fortitudine concoxit, & poterant videri aërem verberasse non VITVM tortores, nisi & his, & unâ Valeriano Proconsuli manus diriguisset. Restituit tamen hanc martyr tyranno, ne quem vinceret, deesset. Hinc aulâ est inclusus à mulierculis, & ceteris illecebris instructâ, quò blandiore, hoc periculosiore scilicet carcere. Sed prælianti Cælites adfuere tantâ luce coruscanti, ut lucem curiosi parentis oculis eriperent. Et hos tamen, quò filium sæpius victorem vel invitus videret, ingrato reddidit; ipse, atrociora patre supplicia meditante, Angelo remige usus, in alias terras trajecit. Decrevere nimirum cæli, ut Romæ etiam triumpharet hæc virtus. Huc itaque evocatus, è Diocleriani filio malum hospitem orcum pepulit; sed stipendia tulit vincula. Ad bestias deinde damnatus, etiam has citius cicures, quam